


**Collecte.** Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi : ut qui juste pro peccátis nostris afflígimur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur. Per Dóminum.

*Les deux autres Oraisons, p. 14.*

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios. 1. *C.* 9 et 10.

Fratres, Nescítis quod ii qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit brávium? Sic cúrrite, ut comprehendátis. Omnis autem, qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet : et illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorrúptam. Ego ígitur sic curro, non quasi in incértum; sic pugno, non quasi áerem vérberans : sed castígo corpus meum, et in servitútem rédigo ; ne forte, cum áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar. Nolo enim vos ignoráre, fratres, quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes in Móyse baptizáti sunt, in nube et in mari : et omnes eámdem escam spiritálem manducavérunt, et omnes eúmdem potum spiritálem bibérunt (bibébant autem de spiritáli, consequénte eos, petra; petra autem erat Christus) : sed non in plúribus eórum beneplácitum est Deo.

*Grad. t. 3. (mixt.)*






